



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

12 De vndecima, & duodecima census conditionibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

bus vendiderit? Quid item si censu in tribus prædijs constituto, Titius tria illa prædia tribus vendiderit? Caiusque, cui census debetur, poterit in solidum à quouis possessore integrum censum exigere, an vero potius totum possit à quolibet emptore partem census postulare? Ratio huius dubitationis est, quia creditor, cui multa res sunt iure hypothecæ obligatæ, potest quemlibet possessorem convenire, & ab eo exigere in solidum integrum debitum, ex l. *Mofchis. ff. de iur. fidei*: eo quod hypothecæ, & pignoris ius est indivisum. l. *Rom hereditariam. ff. de Euct. l. Pignoris. ff. de Pignor. Couarr. lib. 3. var. resol. cap. 7. & s. ait*, Dominum censum non posse in solidum agere contra quemlibet possessorem, sed quemlibet eorum pro rata portione teneri, si facta facta diuisio sit. Quod si res diuisa non sit, debet iudicis arbitrio diuidi, ut quilibet possessor ex parte ad se pertinenti, census partem soluat, quoniam quilibet res cum suo onere, & seruitute ad alium transit: ergo pars rei transit cum parte oneris. In alijs vero hypothecis potest agi in solidum contra quemlibet possessorem, ne creditor cogatur cum pluribus possessoribus litigare, & à pluribus separatim debiti partem exigere, cum magno sui discrimine, grauibus incommodis, & multis impensis. Hoc idem ante docuerat Gloss. in l. *Mofchis, paulo ante cit.* quamvis Dynus, & alij tradiderint, in alijs etiam hypothecis non posse quemlibet possessorem in solidum conveniri, quia quilibet tantum ex parte, que ad ipsum devenit, tenetur. Nauarrus in *comment. de iur. num. 118. putat*, Dominum censum ius habere exigendi integrum censum tum à quolibet possessore partis, tum etiam à venditore rei. v. g. Titius, qui censum annum ex suo fundo debet Caio; vendit fundum tribus emptoribus, potest Caius in solidum convenire Titium, & quemlibet alium possessorem partis fundi. Id probat, quia multiplicatis hæreditibus non debet fieri deterior conditio creditoris. l. 2. §. *Ex his. ff. de Verb. oblig. & l. Plana. ff. Famil. heredes. Virgin. de censib. par. 2. num. 33. ait*: Quando res promissa, vel relicta hæreditibus, diuisionem non patitur, quilibet hæredum creditor in solidum obligatur: quando vero res diuisionis est capax, sociorum quilibet, etiam hæredum ex sua tantum parte tenetur. Bari. & alij in l. 2. §. *de Verb. oblig.* Ratio huius est, quia res transit cum onere sibi annexo: ergo si pars vna transfertur ad Titium, non obligatur in solidum, sed ex parte. Quare si debitor census fundum, in quo est census, tribus vendiderit, aut venditionem Domino census denunciarit, iuxta constitutionem Dij V. aut secus. Si primum, tunc Caius, qui est Dominus census, non habet ius à Titio exigendi: nec item in solidum potest à quolibet possessore postulare, sed partem à singulis. Si vero infesto Caio facta est venditio, potest ipse Caius à Titio totum censum annum exigere, quia culpa debitoris, non debet fieri deterior conditio creditoris.

Vltimo queritur, An res censui supposita, si vendenda sit, æstimari debeat minoris? Respondet, debere, quia minoris est pretij res seruitute, vel alio aliquo onere, vel obligatione alligata, quam libera: ac cum venditur res supposita censui, non venditur libera, sed oneri subiecta, eo quod emptor tunc obligatur Domino censui, ergo multo minoris æstimatur.

In decima autem conditione sic ait Pontifex: [Volumus rem ipsam semper & libere, & sine solutione laudemij, seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatatis, vel rei, tam inter vivos, quam in vitima voluntate alienari.] Quid sit laudemium, explicat Clarus *quæst. 23. §. Emphyteusis. & D. d. vltima. C. de iure emphyteutico*. Laudemium intelligitur id, quod soluitur Domino, quando consentit in alienatione rei emphyteutica: solet autem solui quinquagesima pars pretij.

### De vndecima, & duodecima census conditionibus.

#### CAPVT XII.

VNDECIMO, & duodecimo Pius V. sua constitutione præcipit: [Vt si res subiecta censui, vendenda sit, Dominus census alijs omnibus præferatur, eique denunciantur conditiones, quibus vendenda sit, & is per mensum expectetur.]

Tria hic præcipiuntur, quæ singula sunt iuri consentanea. Nam valet etiam consuetudo, vel statutum, ne res vendatur exteris. Item valet voluntas testatoris, ne res testamento extra familiam alienetur. *Doctores in l. Filiusfamilias. §. Diuis. ff. de Legat. 1.* ergo valet etiam constitutio, quæ prohibet, ne res obligata censui, vendatur alteri, quam Domino census, si eam empturus sit.

Quæres, an etiam hoc beneficium conueniat hæreditibus Domini census, per l. *Ait Prator. §. Hac verba. ff. de Neg. gestis*? Respondeo, continere ex cap. *Constitutus, de In integ. restit.* quia hæres successor, & defunctus, vna, & eadem persona censetur. *Authen. de Iur. iur. an. à morien. præf.* Nam census transit ad hæredes necessarios, qui defuncti re ferunt personam: ac proinde cum eodem privilegio, & beneficio, quod erat census Domino concessum, transfertur. Sed nunquid hoc privilegium, & ius pretendit se ad eum, cui censum donauerit, vel vendiderit Dominus eius? Respondeo, pretendere se, quia Dominus census habet liberam facultatem vendendi; ergo si vendat, vel donet, census cum suo privilegio, & beneficio transit. Verum à quonam die ipse mensis debet numerari? Numerandus est à die, quo Dominus census motus fuerit, & certior factus de venditione facienda.

Quæres, an primus dies illius mensis inter alios dies pro computato haberi debeat? Minime vero, quia dies termini non numeratur in termino. l. 1. §. *ibi Bar. & alij. ff. Si quis cauti*. Sed nunc mensis ille necessario erit dierum vtilium? Dies porro vtilis vocatur, quando tempus non est continuuum, & quando dies elapsi non nocent absentibus, vel impedito legitime, & quando dies feriati non numerantur. Respondeo, dies mensis debere esse continuos: nam tempus vtile datur ratione iudicij, cum res, scilicet in iudicio tractatur: hic vero non agitur de iudicio, fortassis tamen Domino census impedito legitime, dies, qui interim elabuntur, non computantur.

Quid vero iudicandum, quando alienatio facta fuerit, his tribus, quæ hæcenus explicui, minime seruatis? Respondeo, alienationem posse tunc in iudicio dissolui, ac rescindi, quia ius Domino census acquisitum, uti constitutionis Pontificæ tolli per priuatum hominem non potest. l. *Id quod nostrum. ff. de Regulis iuris. & cap. Indulsum, eod. tit. in sexto.*

### De tridecima census conditione.

#### CAPVT XIII.

DÈCIMOTERTIO loco Pontifex ait: [Pacta continentia morosum census debitorem, teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, aut ad salaria, seu expensas medio iuramento creditoris liquidandas, siue rem censui subiectam, seu aliquam eius partem amittere, aut aliud ius ex eodem contractu, siue aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pecnam cadere, ex toto irrita sint, & nulla.] Hæc ibi.

Primo queritur, An à debitore census iure pactum exigatur, ut si morosus sit in soluendo censu, debeat lucrum, quod cessat, Domino census solvere? Nauarrus in *comment. de iur. nu. 83. & Virgin. de censib. par. 1. nu. 9. negant* posse, quia hoc prohibet manifeste ipsa constitutio Pontificæ.